

Tertull. D. Clem. D. Ambros. D. Aug.

vocatus Apostolus à Tertull. lib. de Baptismo cap. 8. D. Clem. lib. 6. Cōstr. c. 7. D. Ambros. lib. 9. in Lucam, D. Aug. lib. 1. de Doctr. Christi. in Procem. sicut & similiter Paulus, & Barnabas vocantur Apostoli.

35. Samaria quæ sit, & unde dicitur.

Descendens nempe à Jerusalem in civitatem Samariam; nam Jerusalem erat in altiori loco, quam Samaria; Samaria Civitas principalis, ac Metropolis Provinciarum, quæ à tam illustri Civitate nomen accepit, dicitur Samaria; fuit Regni Israel, ac decem tribuum, interjacet inter Judæam, & Galilæam, distat à Jerusalem sexdecim leucis, ædificata est in monte Sion, à quo nomen habuit sicut & mons à quo Domino, ac possessore Semer 3. Reg. 16. n. 24. qui illum montem emit; postea vero Herodes Alcalonita eam reædificavit, amplificavit structura murorum, domorum, ac Palatiorum, & in gratiam Cæsaris Augusti eam Augustam nuncupavit. Ita Joseph lib. 13. Antiquit. cap. 11. & 17. Hic verò in præsentis sumitur pro Civitate.

3. Reg. 16.

Joseph.

36.

Predicabat illis Christum; nam licet ipse Dominus olim suis Apostolis præcepisset: Ne in viam gentium abieritis; & in Civitates Samaritanorum ne intraveritis. Math. 10. n. 3. Cujus rei rationes dedi tom. 3. cap. 7. q. 2. Ipse tamen postea intravit, & eis prædicavit. Joan. 4. n. 40. & abiens in Cœlum eis mandavit, ut eum prædicarent, atque evangelizarent in Judæa, ac Samaria. Act. 1. n. 8. ideoque Samaritani fuerunt primi, qui post Judæos Christi fidem receperunt, & quia Samaritani erant valde affines Judæis, ideo sæpe sub Judæorum nomine veniunt, licet ab eis multis erroribus, ac diversa religione, & regno essent divisi. Philippus autem ad prædicandum missus est ab Apostolis, ut docet D. Cypr. ep. 7. ad Julian. Vers. 6. Intendebant autem turba. Syrus Regius: Auscultabant ei, & acquiescebant, quæ quidem verba indicant non solum esse audientes, sed etiam credentes, ac recipientes doctrinam Philippi. Æthiopicus sic legit: Et populi manserunt audientes sermonem Dei. Quæ verba denotant perseverantiam in ipsa doctrina credita, & recepta, & advertit Beda, quod Samaritani fuerunt tam faciles, & prompti ad credendum, quia jam erant dispositi verbis, ac sermonibus Christi, ac mulieris Samaritanæ. Joan. 4.

Joan. 4.

Act. 1.

D. Cypr.

37. Syriac.

Æthiop.

Beda.

38. Æthiop.

Arabic.

39. Syriac. Pagnin. Tigurin.

Unanimiter Æthiopicus: Simul una anima Charitas unionem, ac conformitatem generat. Videntes signa, quæ faciebat. Arabicus videbant miracula, non solum Apostoli, sed etiam Diaconi, ut Stephanus, & Philippus faciebant signa, & miracula, Deus omnes ordines, ac hominum genera condecorat, ac illustrat: Dividens singula singulis prout vult.

Vers. 7. Multi autem eorum, qui habebant spiritus immundos. Syriacus: Multi, quos tenebant spiritus, Pagninus, Tigurina: Spiritus immundi è multis, vel multorum, qui illis tenebantur exibant ab obsessis, & dicuntur multi, non omnes; quia non omnes erant digni, ac capaces, ut gratiâ miraculorum reciperent sanitatem.

40. Math. 8. Marc. 3. Luc. 4.

Clamantes voce magna. Eodem modo clamabant Dæmones cum à Christo ejiciebantur, Math. 8. n. 29. Marc. 3. n. 11. & cap. 5. n. 7. Luc. 4. n. 41. Clamabant ex organis obsessorum, & formantes vocem, clamantes alta, & divina dispositione, ut testificarent se invitos exire, coactos, ac compulsos superiori Dei virtute, ut notat D. Cyrillus Hierosolymitanus Cateches. 7. & ait: In eadem virtute Spiritus sancti Philippus in nomine Christi in Civitate Samaria ejiciebat spiritus immundos magna voce clamantes.

D. Cyril. Hierosol.

41. Syriac. Lyran.

Vers. 8. Multi autem paralytici & claudi sanati sunt. Syriacus: Sanitati restituti sunt. Lyranus existimat; quia talium sanitas solum divina virtute fieri potest, & ideo exprimitur, ut significetur hæc miracula à solo Deo facta esse, tamen non dubito, quod talium

infirmorum sanitas à Dæmone fieri posset, applicando activa passivis per suam scientiam, quam habet, tamen cum hæc fiant per dispositiones rerum naturalium requirunt tempus, ut sensim res disponantur, à solo autem Deo hæc possunt fieri in instanti, ut latè dixi in opuscul. 2. resolut. 42. de miraculis.

Act. 8. n. 9. Factum est ergo gaudium magnum in illa Civitate, vir autem quidam nomine Simon, qui antea fuerat magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum.

Num. 10. Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum, dicentes: Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna.

Num. 11. Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magis suis dementasset eos.

Num. 12. Cum verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres.

Num. 13. Tunc Simon ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo, videns etiam signa, & virtutes maximas fieri, stupens admirabatur.

Versiones

CUM EXPOSITIO VI.

Vers. 9. Factum est ergo gaudium magnum, propter beneficium sanitarum, & maximè, & præcipue propter lucem Evangelii, ac gratiam sanctificationis receptam, ex qua verè gaudium resultat. Vide tom. 4. cap. 26. 11. Vir autem quidam Simon, qui antea fuerat in Civitate. Syriacus: Quis habitaverat in illa Urbe multis temporibus, Græcus: Quis præxiterat, suumque domicilium habebat in illa Civitate principali Samariæ.

42.

Qui antea fuerat Magus, D. Chrysof. Antea exercuerat artem Magicam, Græcus: Magica faciens opera, vel magicas præstigas ostentans qua de causa subdit Textus: Seducens gentem Samariæ, Arabic. Stupesciens gentem Samariæ, tanquam dementare, ac extra mentem, ac rationem facere gentem Samariæ, Dicens se esse aliquem magnum, Syriac. Cum magnificaret se ipsum, diceretque ego sum ille magnus. Æthiopic. Constituebat seipsum præceptorem, & sapientem, Origen. Qui se prænuñciabat esse Dei virtutem magnam. De hoc Simone quæst. seq.

43. D. Chrysof. Græcus. Arabic.

44. Syriac. Æthiop. Goth.

Vers. 10. Cui auscultabant omnes à minimo usque ad maximum. Syrus: Proinde inclinabantur ad eum tam proceres, quam tenues. Æthiopicus: A junioribus eorum ad grandævos eorum, Goth. Cui intendebant, omnes, quem nempe omnes à minimo usque ad maximum nullo excepto audiebant, credebant, & operam dabant omnibus, quæ ille dicebat, & mandabat.

44.

Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna. Syriac. Iste est virtus illa magna Dei. Arabic. Hic est robur Dei maximum. Caiet. Hic est magna potentia. Tigurina. Iste est potentia Dei illa magna. Sic Simon eos dementabat, & seducebat, ut sibi persuaderent, ac dicerent, quod ille erat virtus, ac potentia Dei, non qualicumque, sed magna & maxima.

45. Syriac. Arabic. Caiet. Tigurin.

Vers. 11. Attendebant autem eum. Syriac. Acquiescebant ei, eum audientes, credentes, & operam dantes ejus dictis, mediocritas, ac perveritas facile omnes ad se adducit, ac attrahit: Magis suis dementabat eos. Syriac.

46. Syriac.

Syriac. D. Chrysof.

Syriacus: magis suis incantationibus obstupesceret eos. D. Chrysof. magis suis artibus dementasset eos, hoc est, mentes eorum à veritate alienasset.

47. Arabic.

Vers. 12. Cum verò credidissent Philippo. Arabicus: Cum credidissent sermonibus ejus; In nom ne Jesu Christi baptizabantur. Verè fidei affectus ostenditur in opere, baptizabantur baptismo instituto à Christo Domino, tamen in illis primis temporibus ad magis nomen Christi publicandum, ad majoremque illi benevolentiam, ac venerationem reconciliandam, baptisimus dabatur forsitan sub hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi & Spiritus Sancti. Vide quæ dixi supra cap. 2. ad vers. 38.

Baptisimus forma.

48. Arabic.

Vers. 13. Tunc Simon & ipse credidit. Arabicus: Ipse Simon credebat, fide, & simulacè, vel tantum fide humana, & naturali, ut Dæmones credunt, & contremiscunt. Adhærebat Philippo, ut ejus socius assiduus, ne à suis discipulis credentibus Philippo fieret desertus, tum videns signa, & virtutes maximas fieri, Pagninus: Potentias maximas, ut potestatem faciendi talia signa, mitacula, sanandi infirmos, ac loquendi variis linguis acciperet, sicut videbat fieri à Philippo. Stupens admirabatur. Æthiopicus: Miratus, & stupefactus.

Pagnin.

Æthiop.

QUÆSTIO V.

Quare Simon magis tanta nequitia repletus exierit, & quisnam esset?

49.

Ecce primus Hæresiarca in Ecclesia Christi post ipsum Ascensum in Cœlum, caputque omnium Hæreticorum qui contra ipsam insurrexerunt, & ideo à Sancto Ignatio epistol. ad Trallianos appellatur Filius Primogenitus Satanae, & ideo à S. Clemente, Epiphânio, D. August. inter Hæresiarchas in capite ponitur, & Satanas vocatur à Baronio Christi Simia; nam sicut Christus Simonem constituit caput, ac fundamentum suæ Ecclesiæ, ideoque eum nominavit Petrum; sic & Diabolus primum suum Antagonistam opposuit Simonem magum omnium magicarum artium, ac falsitatum inventorem.

D. Ignat.

D. Aug.

Prima hæresis Ecclesiæ Simonis.

50. Quis Simon.

Iste Simon natus est in quodam vico, seu oppido, Provinciæ Samariæ Githon, unde ipse Githæus, vel Citthæus cognominatus est, Patrem habuit Antonium nomine, & matrem Rachelem, ut testatur D. Clemens lib. 1. cap. 20. de eo ibi refert fuisse apprime eruditum in literis græcis, & in arte magica exercitatum valde.

Clemens

51. Fuitque Simon superbissimus, totiusque vanitatis terminos excedens, ita ut diceretur, ut ait Textus in præsentis, Hic est virtus Dei, quæ vocatur magna, seu ut Pagninus: Iste est potentia Dei magna; Et tanta superbia inflatus, ut in tantam blasphemiam prorumperet, & diceret, ut scribit D. Hieronymus in cap. 24. Matth. Ego sum sermo Dei, ego sum speciosus, ego paraclytus, ego omnipotens, ego omnia Dei: & D. August. lib. de Hæresibus cap. 1. ait de illo se dixisse Christum, & lovem, ut apud Judæos haberetur, ut Messias, & apud gentes, ut Deus, ut ita ab utrisque esset habitus, ut Deus, & subdit D. August. Et dixerat se in monte Sina legem Moysi in Persona Patris dedisse Judæis: Tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse; Christam autem, nec venisse, nec à Judæis quicquam pertulisse.

Pagnin.

D. Hier.

D. Aug.

Simon se Deum dicebat.

52. Tertull.

Tertullianus lib. de Præscript. cap. 4. sic ait: Simon Magnus ausus est se dicere virtutem Dei, id est

summum Deum: mundum autem ab Angelis suis infestum. D. Irenæus lib. 1. cap. 10. sic inquit: Hic, nempe Simon magus, à multis, quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Judæos quidem quasi Filius Dei apparuit in Samaria, quasi Pater descenderit; In reliquis vero gentibus, quasi Spiritus Sanctus adventavit, & in tantam venit dementiam, ut diceret se esse plusquam Deum, Clemens Roman. lib. 2. Recognit. se etiam dicebat esse excelsam virtutem supra Creatorem Deum.

D. Iren.

Clemens

Unde huic misero tanta dementia: Ex superbia, qua erat inflatus, ut nollet Deo se subicere, sed extollere. Ingrediuntur Moyses, & Aaron ad Pharaonem. eique dicunt, quod Dominus Deus Israel præcipit, ut eant via trium dierum ad ei sacrificandum, quibus respondet Pharaon: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel, nescio Dominum. Exod. 5. num. 2. ait: Quis est Dominus? tamquam si dicat nullus est Dominus, cui ego teneat obedire, & vocem ejus audire? Unde illi tanta insipientia? Ipsa naturalis ratio dicit esse unum Deum superiorem, ipsa naturæ vicissitudo demonstrat, ipsa totius Orbis dispositio proclamât, in ut ait Jac. Iacobus 1. Dæmones credunt, & contremiscunt, credunt esse Deum, & ad ejus imperium pavent, & contremiscunt. Pharaon cum esset superbia dementatus pejor Dæmone effectus Deum esse negat, & ei non esse subjectum, nec ejus vocem audire assumat. Lypomanus inquit: Vide quo se extendat cæca superbia, ut naturalem etiam rationem esse nocentem obrubilet penitus, & exinguat? Eo enim usque devenit impudens superbia, ut quod Cœli enarrant, & ea, quæ facta videntur proclamant, nempe Dei gloriam, ipsa negare audeat.

53.

Exod. 5.

superbus stultus, Dæmonis, insipientis, & blasphemus. Iacob. 1.

Lypoman.

Adhuc in ipso Pharaone persisto, postquam multis plagis esset jam verberatus, ingressi Moyses, & Aaron dixerunt ei: Si resistis, & non vis dimittere populum, ego inducam cras locustam in fines tuos. Exod. 10. num. 4. Qui autem resistit, pugnat, excitat se velut vincere, ac de adversariorum triumphare. Quomodo talia potuerunt in mentem Pharaonis venire? cum ipse esset tot, & tantis flagellis oppressus, peste, grandine, ulceribus, & tenebris, cur non se subicere, ac obedire Deo, & à sua nequitia non quiescit, sed adhuc resistit, adhuc pugnat cum Deo, seque de illo victorem promittit? Ecce in quantam stultitiam superbia miserum hominem præcipitat, ut velut indomita fera à nullo domari possit, ut sic evanescat, ut contra Deum stare audeat, & cum illo certare contendat, ut eum sibi subjectum facere præsumat. D. Ambros. epist. 84. ad Demetriadem, ait: Inter omnes lapsus hominum, inter commissa peccantium, nulla est gravior, quam superbiorum ruina, maxime cum ipsa elatio cœtet in Dei injuriam. Expende ultima verba, cœtet in Dei injuriam.

54.

Exod. 10.

superbus existimat se cum Deo posse contendere. D. Ambros.

QUÆSTIO VI.

Quare Simon credit, & baptizatur, cum hoc non ex corde haberet?

AN verò Simon verè, vel fide, ac simulacè credidisset? quæstio est præsens. Caietanus rem indeterminatam relinquit: Beda, Glossa Ordinaria, Lyranus dubitant, an hoc saltem firma fide fecisset? Communis, & vera sententia est, quod non ex animo, sed fide, & simulacè crediderit, & baptizatus fuerit, ne à suis discipulis adherentibus Philippo esset desertus, & ut inter Domini discipulos computaretur. Adhærebat Philippo videns signa, &

55. Caiet.

Beda.

Glossa.

Lyranus.

56. simulacè fide agit si.

& prodigia, ut talem potestatem haberet faciendi miracula, & variis linguis loquendi, & ita in multa veneratione apud omnes reputaretur. Ita Occumenius in præfati: Se sub nomine Apostolorum vendicans cum esset magus. D. Cyrillus Jerosolymitanus præfat. in Cathed. Accesserat aliquando Simon magus ad hoc lavacrum: baptizatus est, sed non illuminatus; corpus quidem lavit aqua, cor autem non illustravit Spiritu.

Divus Chrysostomus homil. 60. ad Populum ait: Quod Simon accessit ad Fidem, & Ecclesiam, sicut Iudas in ultima Cæna accessit ad Eucharistiam. D. August. tract. 6. in Joan. ait: quod in Ecclesiam Simon ut corvus ingressus est, quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. & quæstione 84. in Levit. ait: In Christianis Simon potentiam magis amans, quam justitiam nihil illi profuit visibilis Baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit. Idem communiter docent omnes Patres, D. Iræneus lib. 1. cap. 20. Eusebius lib. 2. Histor. cap. 1. D. Hieronym. in cap. 16. Ezechiel. D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 4. D. Gregor. in Psalm. 4. Pœnit. Theodorus in Cantic.

Inter Diabolicas Simonis artes, una fuit ficta simulatio, quæ est execrabilis quedam pestis. Cum esset in Synagoga homo quidam Dæmoniacus, cumque audisset Jesum: Exclamavit, dicens: Quid nobis; & tibi Jesu Nazarenè venisti perdere nos? Scio quod sis Sanctus Dei; Et comminatus est ei Jesus, dicens; Obmutescere, & exi de homine. Marc. 2. num. 24. Diabolus magnam veritatem dixit, & maxime in laudem Christi, & quod esset Sanctus Dei, & Filius Dei, & ipse Dominus non solum imperat ei, Obmutescere, sed etiam comminatus est; Syriacus obmutavit eum, increpavit. Pagninus, Vatablus magno imperio eum obmutescere facit, cur tam rigide se habet Dominus in Dæmonem cum tantam proclamaret sanctitatem? Diabolus illa dicebat, non animo Christum laudandi; sed ut Dominus eum permitteret esse in homine, & exire non imperaret, inde simulationem Diaboli agnoscens rigide in eum invehitur: comminatus est ei obmutescere. Rupert. lib. 8. in Matth. hujus rei assignans rationem ait: Quia non est speciosa fides, vel confessio in ore, si dilectio non sit in corde.

Volentes Pharisei Jesum capere in suis verbis mittunt Herodianos, ut interrogarent Christum; An liceat tributum dare Cæsari, qui accedentes multa cum reverentia, dicunt: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam, dic nobis, an liceat censum dare Cæsari? Tunc Christus valde durè, & severè respondet: Quid me tentatis hypocrite, Matth. 22. num. 18. maxime notatu dignum, quando injuriosè contra Dominum locuti sunt: Cum dixerunt Pharisei non ejicit Dæmonia nisi in Beelzebub principe Dæmoniorum, Matth. 12. num. 24.

Valde blande respondet ex quadam ratione communi: Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur. Cum dixerunt Dæmonium habes, mansuetè respondit: Dæmonium non habeo. At verò modo suavibus verbis Encomiastes facti: Viam Dei in veritate doces, non respicis personam. Tunc accerrimè invehitur, hypocritas eos dicens Accesserunt Herodiani non puro, ac sincero animo, sed ficto, & simulato, ut eum arguerent, & qui patitur blande injuriola, fictas simulationes non sustinet, sed accerrimè eorum iniquitates arguens, rejicit: Abulensis ad cap. 22. Matth. quæstione 94. Quando blande loquebantur, dure respondebat, ut eorum blanditiis, & adulationibus videretur consentire.

Aetor. 8. num. 14. Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem.

Num. 15. Qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum.

Num. 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.

Num. 17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.

Versiones

CUM EXPOSITIONE IV.

Verf. 14. Cum audissent Apostoli per epistolam, vel nuntium missum à Philippo Diacono, quod recepisset Samaria Verbum Dei, Arabicus: Incolas recepisse Sermonem Dei, scilicet, Evangelicum Verbum; Nam Philippus erat tantum Diaconus, ideoque tantum poterat baptizare, non tamen manus imponere, aliavè Sacramenta Sacerdotalis Ordinis propria ministrare: Miserunt Petrum, & Joannem; Cum Petrus esset omnium superior, miserunt non imperativè, sed rogatu ex quadam convenientia, sicut Capitulum mittit Episcopum, Collegium Rectorem; miserunt Petrum ex convenientia, ut omnium Pastor videret novam Ecclesiam illi subjectam, in eaque disponderet, ac ordinaret, quæ ei erant necessaria.

Verf. 15. Qui cum venissent. Syriacus: Itaque descendunt, utique à Jerusalem, quæ erat in superiori loco super Samariam: Oraverunt pro ipsis, ut solli Apostoli, vel simul cum ipsis Samaritanis baptizatis, ut ipsi per orationem maxime disponderentur, ac præpararentur ad novam gratiam Spiritus Sancti recipendam.

Verf. 16. Nondum enim in quemquam illorum venerat, scilicet Spiritus sanctus; Græcus, Erat illapsus; Syriacus: Ingressus fuerat, sed baptizati tantum erant: Illud tantum refertur ad Baptismum, ut optime notat Lyranus; In Baptismo quidem acceperunt invisibiliter Spiritum Sanctum ad sanctificationem; non enim acceperunt visibiliter, ut loquuntur omnes Expositores in præfati, Lyranus, Lorinus, Cornelius, Menochius, Estius, Tyrinus, quia per Sacramentum Confirmationis visibiliter dabatur.

Quod sic explico; non omnes, qui recipiebant Sacramentum Confirmationis, à gratia Spiritus Sancti visibiliter hoc demonstrabatur, vel dono linguarum, seu curationis; ut ait: Apostol. 1. Corinth. 12. numer. 30. Nunquid omnes habent gratiam curationis? nunquid omnes linguis loquuntur; tribus, vel quatuor diebus, post adventum Spiritus Sancti, fere octo millia hominum conversi sunt ad Fidem, illa tamen gratia dabatur aliquibus, qui magis dispositi, & præparati erant in fide; In omnibus tamen per effectus demonstrabatur gratia Spiritus Sancti, in firmitate, constanti confitendi, & prædicandi fidem, contempto omni vitæ discrimine, & tyrannorum furore.

Verf. 17. Tunc imponebant manus super illos. Syriacus: Imponebant manus. Arabicus: Involuerunt igitur ambo tunc, non simul ambo Apostoli in eodem homine, sed Petrus ponebat manus in uno, Joannes in altero, imponere manus phrasia Hebraica est, & idem valet, ac tangere per sanctam unctionem Confirmationis, ut notat noster doctissimus Vualdenfis, ut renati baptismate fierent fortissimi Christi

Christi milites ad profitendam intrepide Christi fidem, de quo latius in quæstionibus.

QUÆSTIO VII.

Quare Philippus in Samaria, Apostolis, ut in Samariam miserent operarios, & misit, ut Petrus, & Joannes.

Videns Philippus uberem fructum Evangelii in Samaria, magnamque fidelium conversionem, inlinnavit Apostolis, vel per nuntium, seu epistolam, de qua per Ciceronem ait D. Hieronym. epist. 42. Sola est est, quæ absentes, facti p. a. sentes vicissitudo literarum: Cumque ipse Philippus esset Diaconus solum poterat baptizare, non tamen alia Sacramenta conferre, quia hoc pertinet ad Sacerdotale munus.

Et etiam Philippus fecit certiores Apostolos de tam ampla messe ac multiplicato fructu in Ecclesia Dei, ad eorum gaudium, ac lætitiæ augendam, & cumulandam. Ait Regius Vates Psalm. 88. nu. 13. Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt. D. August. legit: Totâ die exultabunt magno, & perenni gaudio. Per Thabor, & Hermon, Hugo intelligit juitos, & sanctos floridos omni virtutum genere Exultabunt in nomine tuo publicato, ac adorato in toto orbe, ut ait Valentia.

Tunc Apostoli miserunt Petrum, & Joannem, ut jam dixi in expositione, & ait Cajetanus: Petrum Apostoli mittunt, non imperio, sed fraternâ charitate; ac impulsione; ut multi fratres mirum quandoque majorem, ut Capitulares mittunt Episcopum ad Papatem, vel Casarem. Miserunt Petrum rogantes ex multa convenientia, quia cum ipse esset Pastor, ac Pontifex totius Ecclesiæ invileter novam sibi Ecclesiam aggregatam, etque disponderet, ac ordinaret ministros aptos, & sufficientes ad ministrandam Sacramentorum, ad instructionem fidei, ejusque prædicationem; nam Spiritus Sanctus rapuit Philippum ad Eunuchum infra numer. 26. tum etiam, ut Petrus sua præsentia multum adjuvamen, ac consolationem eis exhiberet; & suis verbis, signis, atque operibus multum illustraret.

In eo maxime resplendet Pastoris excellentia, ac præfuls dum in pertractanda suorum salute verbis connectit opera. Arguens Christus Dominus Iudeos, ait: Viri Niniuite surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic. Matth. 12. num. 40. In quo Christi prædicatio excellentior resplendit supra prædicationem Ionæ? Ionas vocibus intonuit tantum opus, nec signum præstitit, totus in minis extorquendis erat: Adhuc & quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Ionæ 3. nullum opus, vel signum ad hoc demonstravit. At Iesus, etiam vocibus proclamabat: Penitentiam agite, vitia inceptabat, multa magna, & mirabilia opera, qualia nunquam visa sunt, præstitit, ac exhibuit, quæ homines ad salutem traherant, & inde inter cætera multo excellentior extitit ejus prædicatio, quam Ionæ, Noster, D. Cyrillus Alexand. in cap. 1. Joannis, ait: Quomodo autem plus in Christo, quam in Iona? quoniam hic tantummodo comminatus est Ninivitis everisionem; Christus propter miraculorum efficientiam ineffabilem homines obstupesciens in admiratione erat; semper autem currens prædica, quasi machina quadam ad fidem trahunt. Machina miraculorum destruit adversariorum errores.

Matth. 12. Ille magnus prædicator, qui verbis, & opere agit de salute. Ionæ. 3.

Penitentiam agite, vitia inceptabat, multa magna, & mirabilia opera, qualia nunquam visa sunt, præstitit, ac exhibuit, quæ homines ad salutem traherant, & inde inter cætera multo excellentior extitit ejus prædicatio, quam Ionæ, Noster, D. Cyrillus Alexand. in cap. 1. Joannis, ait: Quomodo autem plus in Christo, quam in Iona? quoniam hic tantummodo comminatus est Ninivitis everisionem; Christus propter miraculorum efficientiam ineffabilem homines obstupesciens in admiratione erat; semper autem currens prædica, quasi machina quadam ad fidem trahunt. Machina miraculorum destruit adversariorum errores.

Alt. Job. 37. num. 4. Tonabit Dominus voce, mag-

ni udinis sua, tonabit in voce sua mirabiliter, qui facta est magna, & quænam est vox magnitudinis Omnipotentis Dei, seu ut legit Aquila superlativus, & Aquila. celsitudinis, & subdit; Tonabit in voce sua mirabiliter, qui facit magna: Non est vox nuda, sed secum affert opera, quæ facit magna, & vox, quæ secum importat opera, tunc tonat, ut vox magnitudinis, superlativus, & celsitudinis; talis vox omnia magnalia secum involvit, quæ tanta mirabilia secum importat.

QUÆSTIO VIII.

Quare Apostoli imponendo manus dabant Spiritum Sanctum, Agitur de Sacramento Confirmationis.

At Textus: Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Imponebant manus, ut omnes docent cum nostro Vualdenfis tom. 2. cap. 13. id est tangebant, Marc. 3. num. 2. Quidam postularunt à Christo Domino, ut homini lunatico manus imponeret, ipse vero digito tetigit linguam ejus, & aures, & Apostoli non tantum manibus tangebant, sed ungendo tangebant, & ideo Pagninus, verbum Hebraicum, quod significat imponere, significat etiam ungere, & ideo Apostoli imponebant manus ungendo, ut tenet Ecclesia Catholica à suo principio, & omnes Patres docent, quos latè referunt citatos Vualdenfis, Bellarminus de Confirmat. cap. 8. Soares tom. 3. ad 3. p. disp. 32. lect. 2.

Sacramentum Confirmationis est unum ex septem Sacramentis, quæ fuerunt immediate instituta à Christo Domino, ut definitum est de fide in Concilio Florentino, & Trident. fuitque institutum à Christo Domino in ultima Cæna, quoad materiam, & formam. Tunc Christus Dominus consecravit Chrysmâ, ut habetur ex epistol. 2. Fabiani Papæ, & multis Conciliis apud Authores citatos, & ideo ad imitationem Christi tempore Cæna Domini conficitur Chrysmâ.

Chrysmâ autem conficitur ex oleo olivarum, & balsamo, quod est necessarium ad materiam hujus Sacramenti. Hoc autem Chrysmâ consecrandum est ab Episcopo, ut declaratum est in Concilio Tolerano 8. Carthag. Florentino. materia remota Sacramenti, ipsum Chrysmâ; proxima, unctio; forma Sacramenti, Configno te signo Crucis, confirmo te obsequio salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, minister Ordinarius, Episcopus, ex dispensatione Summi Pontificis simplex Sacerdos.

Effectus hujus Sacramenti explicat Textus, Accipiebant Spiritum Sanctum cum omnibus suis donis, indeque in Confirmatione datur plenitudo gratiæ accepta in Baptismo cum fortitudine, ac multo robore ad profitendam fidem, contempta omni Dæmonum tentatione, ac tyrannorum persecutione, ut ita qui erant fideles jam fierent generosi Christi milites, & robustissimi Athletæ, & pugiles Christi, S. Melchides Episcopus ad Episcop. Hispan. inquit: In Baptismo regeneramur ad vitam, in Confirmatione armamur ad pugnam. Tertullian. lib. de resurrect. cap. 8. agens de hoc Sacramento, ait: Caro unguitur, & anima consecratur: Caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adunbatur, ut anima Spiritu illuminetur. Quæ omnia de hoc Sacramento explicat Apostolus 1. Corinth. 1. num. 21. Qui confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

QUÆSTIO